



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

VI. Vtrum habitus Virtutis Theologica sit impossibilis cum actu vitij
contrarij?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

cum noticia experimentalis inclinante, ac determinante ad similes actus eliciendos. Et quia inclinationes, ac propensiones ad terminos inuicem impossibiles, vti impossibiles sunt actus virtutis, & vitij contrarij, sunt etiam ipsae similiter impossibiles; propterea habitus virtutum naturalium sunt ex sua natura impossibiles cum habitibus vitijs contrariis. Ea autem ratio non militat in habitibus supernaturalibus per se infusis, vt patet ex dictis.

Ad 2. Conuersio, & auersio alicuius respectu alterius dicuntur ratione actuum immediatè, ac formaliter; ratione verò habituum, non nisi quatenus illis adiungitur noticia experimentalis actuum, inclinans, ac alliciens ad talem personam, aut deuians ab eadem. Talis autem noticia non est per se coniuncta Virtutibus Theologicis. Fieri propterea potest, vt habens Virtutes Theologicas, absque repetitione actuum, & experientia eorum, vt contingit in Pueris baptizatis, & alijs, non sit simpliciter conuersus ad Deum posituè; sed tantum priuatiuè per exclusionem peccati. Vnde fieri potest, vt coniungantur virtutes Theologicae cum vitijs contrariis quoad habitus, etiam intentos, quin propterea, qui vtrosque habitus simul habet, simul sit conuersus, & auersus respectu Dei simpliciter.

Ad 3. Qui praehabet habitus Theologicos, idè non potest acquirere habitus vitijs contrarios, nisi illis deperditis; quia non potest acquirere habitus vitijs, nisi per actus vitijs: atque habitus Theologici sunt impossibiles cum actibus vitij contrarij, vt dicitur quaest. proximè sequenti. At habitus vitijs non sunt similiter impossibiles cum actibus contrariarum virtutum, vt ibidem exponetur; & propterea possunt obtineri virtutes Theologicae non exclusis contrariis habitibus vitijs praexistentibus.



QVÆSTIO VI.

Vtrum Habitus Virtutis Theologicae sit impossibilis cum actu vitij contrarij?



IDEVR non esse impossibilis. 1. Quia habitus vitij contrarij non est impossibilis ex sua natura, cum actu Virtutis Theologicae, vt proximè dictum est, & est certum apud omnes. Nec enim per quemlibet actum virtutis, protinus amittitur consuetudo vitiosa praexistens, eiusque mala inclinatio, vt patet. Non est autem maior oppositio virtutis cum actu vitij, quam è conuerso. Ergo componi similiter potest habitus virtutis Theologicae cum actu vitij contrarij.

2. Auxilia actualia Gratiae sunt compossibilia ex sua natura cum actibus quibuscumque vitijs. Ergo, & habitus quilibet per se infusus est compossibilis cum iisdem. Patet consequentia, quia auxilia actualia possunt inducere eisdem specie actus, qui possunt induci per habitus. Quae autem possunt esse principia eorundem effectuum, eandem oppositionem habeant necesse est cum effectibus contrariis.

3. Peccata venialia vitij oppositi sunt compossibilia cum virtute qualibet Theologica. Ergo sunt compossibiles cum eadem quilibet actus vitij oppositi. Patet consequentia; quia omnes actus vitij oppositi eodem modo contrariantur motui virtutis sibi corresponsentis.

4. Videtur tantum indirectè excludi omnes habitus per se infusos per quodvis peccatum lethale quatenus quodvis peccatum lethale immediatè, &

directè corrumpit Gratiam sanctificantem, quae est radix ceterarum omnium virtutum infusarum, quae propterea necessariò intereunt illa intereunte, vique adeò, vt non nisi miraculosè conseruari possint, & non nisi miraculosè conseruentur de facto habitus Fidei, & Spei in absentia Gratiae sanctificantis; sicut miraculosè conseruantur proprietates accidentales naturae substantialis in absentia talis naturae. Ergo nulla virtus Theologica habet impossibilitatem vllam specialem cum actu vitij directè contrarij, potius quam cum quouis alio peccato lethali.

5. Si habitus Theologici essent impossibiles ex natura rei cum actibus vitij contrarij, actus earum virtutum non elicerentur liberè libertate contrarietatis; quia comprincipium impossibile cum alterutro ex extremis libertatis est impossibile cum libertate, & indifferentia ad verumque extremum. Nec enim auferri potest tale comprincipium per positionem eius extremi, cum quo ipsum est impossibile, cum, quod prius est, per id, quod posterius est, auferri minimè possit. Neque etiam fieri potest, vt voluntas componat cum tali comprincipio extremum, quod est impossibile cum eodem, vt per se patet. Ergo nec in sensu composito, nec in sensu diuiso Virtutum Theologicarum posset esse libera voluntas iisdem virtutibus praeventa ad actus vitij oppositi. Sequela autem est absurda; quia fidelis est liber ad infidelitatem, & sperans ad desperationem, & amicus Dei ad peccatum lethale.

6. Non potest constitui inter virtutes Theologicas, & actus vitij contrarij, neque impossibilitas moralis, ac demeritoria, neque impossibilitas purè physica. Non quidem purè physica: quia iustus incidens in amentiam non amittit virtutes, quas ante habebat per actus infidelitatis, aut desperationis, aut quoscumque alios intrinsecè inhonestos; cum tamen quoad physicam entitatem, aut speciem sint eiusdem rationis cum actibus perfectè liberis, ac moralibus. Sed neque moralis, & demeritoria esse potest ea impossibilitas: Quia ex eo capite quodvis peccatum lethale est impossibile cum omnibus donis infusis à Deo. Omnium siquidem priuatio debetur cuius peccato lethali secundum se. Nulla igitur absolute, vel certè nulla specialis impossibilitas conuenit Virtutibus Theologicis cum peccato lethali vitij contrarij.

Art. 1. Resp. Certum est, vnamquamque Virtutem Theologicam amitti de facto per peccatum lethale pertinens ad vitium contrarium tali virtuti. Colligitur ex Trid. sess. 6. cap. 13. vbi loquens de infidelitate, per quam, ait, & ipsa fides amittitur. Quod procul dubio accipiendum est de eodem amissionis modo, quo sub eadem periodo definit, quocumque peccato mortali iustificationis Gratiam amitti, vbi dubitari minimè potest, sermonem esse de amissione habitus. Quia verò desperatio non minus, aut aliter opponitur Spei, atque opponitur infidelitas Fidei, & quodvis peccatum lethale charitati, pro certo tenendum similiter est. Spem quoque interire per quodvis desperationis peccatum. Constat igitur nullam Virtutem Theologicam esse compossibilem de facto cum vllò peccato lethali vitij oppositi, quae est communis omnium sententia contra Durandum.

Art. 2. Deducitur verò inde vterius, Virtutes Theologicas esse impossibiles intrinsecè, & ex natura rei cum peccato lethali vitij contrarij, ita vt, saltem connaturaliter, & citra miraculum, componi inuicem non possint, opponuntur enim inter se non minus, si non & magis, te totis, quantum calor, & frigus, similesque qualitates, quoad gradus intesos. Nempe Deus non aufert dona supernaturalia, suapte natura permanentia, nisi accedente ex parte nostra aliquo impossi-

compossibili ex natura rei cum illis. *Sunt enim sine poenitentia dona Dei*, & cum neque habitus naturales, neque quidquam aliud naturale, suapte natura permanens, auferat Deus, non existente aliquo incompossibili ex natura rei cum illo; multò minùs aufert dona supernaturalia, similiter ex se permanentia, nisi interveniente simili impedimento, quandoquidem dona supernaturalia, non minori iure, sed multò maiori postulant perseverantiam sui connaturaliter possibilem sibi, quàm dona naturalia. Nec Deus in ordine supernaturali est minùs, sed multò magis propitius ex natura rei, quàm in ordine naturali.

Art. 3. Deinde tam in ordine naturali, quàm supernaturali est miraculum, ut destruat res ex sua natura permanentes, non superveniente aliquo, cui ex sua natura debeat eius destructio. Cuius enim boni ablatio erit miraculosa; si miraculosa non sit ablatio propriæ existentie, & conservacionis, respectu entitatis, cui est connaturale, quantum est ex se, ut diutius conservetur? Deus autem miracula nocentia non facit, neque in ordine naturali; neque, & hoc multò minùs in ordine supernaturali. Ergo peccatum, quo superveniente aufertur virtus Theologica, intrinsecè ex sua natura est impossibile cum illa.

Art. 4. Confirmatur. Quia quodvis peccatum lethale est intrinsecè impossibile ex natura rei cum Gratia iustificante, & charitate, ut fert communior Theologorum sententia, & ostenditur in questionibus de iustificat. Impij. At non aliter opponitur Infidelitas Fidei: necnon desperatio Spei, quàm hæc peccata, & quodvis aliud lethale opponantur Gratia iustificanti, & Charitati, ut innuit satis Tridentinum nuper adductum & ex eo præterea liquet, quia infidelitas remouet à credendo, & desperatio à sperando, non minus quàm quodvis indiscriminatim peccatum lethale à dilectione Charitatis. Ergo etiam infidelitas, & desperatio opponuntur intrinsecè, & ex natura rei habitibus Fidei, & Spei. Ratio à priori, quæ vrgebatur magis qu. 3. est huiusmodi.

Art. 5. Vnaquæque Virtus Theologica in suo genere est perfecta coniunctio mutua, ex utraque parte voluntaria, inter hominem, & Deum, subiiciens intellectum hominis, omnesque eius rationes, & persuasiones auctoritati, & directioni diuinæ; & eiusdem voluntatem, omnesque eius amores, & inclinationes bonitati, & dilectioni diuinæ, ut apparet ex dictis qu. 4. Simulque constituens Deum magistrum, & directorem hominis, per reuelationem omnium veritatum necessariorum, ut tutissimè, & congruentissimè perducatur in suum vltimum finem; nec non constituens eundem eiusdem dilectorem, & amicum, per æternam subministrationem Gratiæ, & doctorum, quibus homo perfruatur perfectissimè ipso Deo. Deus enim cum nihil perfectoriè, nihil nisi sapientissimè, ac convenientissimè faciat, dum infundit homini habitum, quo eius intellectum sibi subiicit permanentem; atque ad eum constituit alia, & secretæ suæ scholæ discipulum, eo ipso exhibet se Doctorem eius, & Magistrum per se ipsum immediatè, permanente eius Magisterio, & Doctrina. Quia verò nulla re magis amicum, & dilectorem hominis se exhibet Deus, ut docet luculenter D. Th. 3. cont. Gent. c. 1. 1. quàm communicando ipsi charitatem ergà se, idè dum infundit homini habitum, quo is constituitur amicus ipsius, eo ipso necesse est, ut se quoque amicum eius constituat. Huiusmodi autem mutua voluntaria coniunctio necessariò utrinque rescinditur ex natura rei, recedente utrolibet eorum, qui sunt ita coniuncti; quia utrinque innititur affectu intrinsecè reciproco, & habente rationem quandam contractus, cum mutua alterius ab altero dependentia. Destruitur ergo virtus qualibet Theologica ex natura rei, per

actum quemlibet vitij contrarij, directè, & grauiter sibi oppositum. Quia quilibet talis actus, per se ipsum, est recessus efficax à coniunctione cum Deo, quàm in se continet talis habitus bonus. Ergo virtutes Theologicae sunt impossibiles intrinsecè ex natura rei, cum actibus grauiter peccaminosis vitij contrarij.

Ad 1. Ratio discriminis est; quia habitus vitiosus non continet in se mutuum aliquam vniorem hominis, & Dei, nec fit dependenter à mutuo utriusque consensu, seu formaliter, seu æquiualeuter; sed est potius secessus hominis à Deo sola sua voluntate, & actiuitate inducentis sibi tantum malum; ideoque obligati ad remouendum illud propria actiuitate, & voluntate, adiuta à Deo per Gratiā. Actiuitas autem hominis, ut paulatim, & successiue vitium fouet, ita paulatim, & successiue illud destruit, repetitis lapsis, & per longum tempus actibus contrariis bonis; nec aliter potest, saltem ut plurimum, depellere totaliter habitum malum; ac proinde illum habet per longum tempus coniunctum cum actibus contrariis bonis. At Deus, ut donum habitus boni contulit actione instantanea, & quidquid adauget temporis decursu potuit instantaneè initio conferre, contulissetque de facto, si tanta præexistisset dispositio ex parte hominis; ita etiam totum habitum à se infusum subito destruit, cum primùm facta est discessio ex parte hominis, & posita indignitas continuandi beneficium mutue coniunctionis. Licet ergo habitus vitiosus sit composibilis ex sua natura cum actu contrariæ virtutis Theologicæ, non propterea deducitur habitum Virtutis Theologicæ esse similiter compossibilem cum actu vitij contrarij. Quia est maior impossibilitas inter hæc duo extrema, quàm inter duo illa alia.

Ad 2. Auxilia actualis Gratiæ non continent in se mutuum coniunctionem permanentem inter Deum, & hominem, qualem dictum est continere habitus; sed sunt vocationes certis operandi opportunitatibus deinstructæ, & ex sua natura transeuntes, quibus nos inuitat Deus, ut velimus adhibere nostrum consensum ineundæ eidem coniunctioni. Et sicut ob hanc rationem nondum consentientibus exhibentur, ita dissentientibus etiam continuantur. Alias enim necessarium esset, quod est impossibile, ut nos Deum præniremus, & consensu, & poenitentia salutati, cum certum è conuerso sit ex fide, Deum nos prænire per Gratiā suam actuale quoad utrumque actum, ut constat ex dictis quæst. 16. de Gratia. Pater autem ex superiori nostro discursu, nullum hæc habere locum quoad habitus, utpote qui sunt coniunctio ipsa mutua inter Deum, & hominem, & non solum initium coniunctionis, & inuitatio ad ipsam.

Ad 3. Peccata venialia non separant hominem à Deo, ut vitio fine, simpliciter, sed tantum secundum quid; nec tam sunt contra vltimum finem, quàm præter illum; atque idè componi possunt cum absoluta coniunctione mutua inter Deum, & hominem. Alia ratio est, ut patet, de peccatis lethalibus; ideoque conclusio de impossibilitate Virtutum Theologicarum cum actibus vitij oppositi, restricta superius est ad actus vitij lethaliter peccaminosos. Iam contrarietas cum motiuo virtutis eodem modò limitanda, ac distinguenda est, atque contrarietas cum ipsa virtute, iuxta dicta quæstione 4.

Ad 4. Cardinalis de Lugo, & pauci alij omnino assentiunt illi obiectioni; sed satis liquet ex fundamentis nostris, non tantum indirectè, sed directè, ac formaliter esse impossibilem cum vnaquaque virtute Theologica actum vitij contrarij lethaliter peccaminosum; idque eadem ratione, qua quodvis peccatum lethale est directè, ac formaliter impossibile cum Gratia sanctificante, & Charitate, de qua re

tota

tota redibit iterum sermo quæst. 10. Vbi etiam examinabitur, ac exponetur, quod dicitur de Gratia sanctificante habente rationem naturæ respectu cæterorum donorum supernaturalium.

Art. 1. Ad 5. Sicur iustus est liber ad peccandum lethaliter, tamen Gratia iustificans sit intrinsicè impossibilis cum quouis peccato lethali, ut fert communior, & vera Theologorum sententia; quia qui iustus est, potest peccando excludere à se iustitiam, ac sanctitatem, & desinere esse iustus, ita qui præuentus est Virtutibus Theologicis, est nihilominus liber ad actus vitiosos contrarios, lethaliter peccaminosos. Quia eliciendo istos actus, potest per eundem corrumpere, & amittere illos habitus. Ratio est, quia neque homo iustus ad peccandum, neque habens virtutem aliquam Theologicam, ad actum vitij contrarij intelligitur liber, ut præhabens Gratiam sanctificantem, & habitum Virtutis Theologicæ cum determinatione ad instans, pro quo primum existit, aut existere proxime potest actus peccaminosus; sed quatenus præhabet eisdem habitus pro instanti immediatè antecedenti, Nempe, quæ pendent ab aliqua sua operatione, quoad conseruationem sui, pro aliquo instanti per eandem actionem, qua determinat effectum necessarium ad sui conseruationem, ut primum existat pro tali instanti, determinat etiam se ut transeat ad idem instans; utque conseruentur pro eodem instanti, ita ut prima formalis determinatio principij, ut conseruetur ipsum, & incipiat existere effectus, sit actio productiua eiusdem effectus.

Art. 2. Nullum porro est inconueniens voluntatem, quatenus præhabet Gratiam, & alios habitus supernaturales pro instanti A, intelligi indifferentem ad peccandum, & non peccandum; conseruandos, & destruendos eisdem habitus per exercitium eorumdem, aut corrumpeudos per contrarium exercitium vitiosum pro instanti B. Quia hæc non est indifferentia ad cooperandum pro instanti B, vel non cooperandum comprincipio existenti præcisè pro instanti A, quin transeat ad instans B, ipsum comprincipium, quod esset inconueniens, sed est indifferentia conueniens voluntati pro instanti A, ut vel per operationem bonam exerceat actiuitatem habitus boni, eundemque per eandem transmittat ad instans B, atque determinet, ut conseruetur pro eodem; vel ut per contrariam operationem malam exerceat similiter habitum vitiosum, vel aliud comprincipium contentium eiusdem operationis male; utque per ipsam malam operationem impediatur transitus habitus supernaturalis ad instans B, eiusdemque pro eodem conseruationem. In quo nullum est inconueniens; sicut nullum est inconueniens in eo, quod quis, quatenus existens in spatio A, sit indifferens ad transeundum in spatium immediatum B, ita ut prima determinatio ad transeundum in spatium B, & ad existendum in eodem, sit ipsa actio transitiva præsupponens suum principium determinatum pro prioris naturæ ad existendum in spatio A, & indifferens ad existendum in spatio B, & consequenter ad conseruandam, & amittendam priorem vocationem, determinatiuam formaliter ad spatium A.

Art. 3. Itaque voluntas præuenta virtutibus Theologicis, pro instanti A, est indifferens ad operandum bene, & malè pro instanti B, dependenter à præexistencia eorumdem habituum in instanti A, cum potestate eos habitus amittendi, ac destruendi pro instanti B. Potest nimirum amitti, ac impediri prius per posterius, non secundum quod est prius, bene tamen secundum entitatem, quæ est prior, ita ut prioritas conueniat, secundum vnum instans reale, & impeditio secundum illud instans reale modo explicato. Quod autem impeditio est à voluntate per vnā partem

contrarietatis, nullatenus aufert perfectam eiusdem indifferentiam ad vtrumque extremum contrarietatis; tamen impossibile sit cum altero eorum extremorum. Nempe, ut aliquid auferat indifferentiam voluntatis ultra impossibilitatem cum altero ex extremis indifferentiæ, oportet ut sit inimpedibile, ac inauferibile per eandem voluntatem, ut patet.

Ad 6. Ostenso esse impossibiles intrinsicè, & ex natura rei, cum Virtutibus Theologicis, actus lethaliter peccaminosos vitij contrarij, quæstio superest solum de voce, an ea impossibilitas sit dicenda physica; quia tanta, ut minimum est, quanta reperitur inter formas purè physicas inuicem impossibiles; an verò moralis, quatenus oppositio, & impossibilitas pendet essentialiter à moralitate, & malitia peccaminosa alterius ex extremis. Dicatur, si placet, impossibilitatem esse formaliter physicam, & fundamentaliter moralem, quatenus fundatur in moralitate actus, & tamen non solum mouet ex congruentia; & decentia quadam ad non contingendum vtrumque illud extremum; sed ex intrinseca sua natura, & exigentia, cui resisti nequaquam potest, saltem sine miraculo. Dictum porro est impossibilitatem istam, vtrumque appelletur, specialiter conuenire vnicuique Virtuti Theologicæ, respectu actus pertinentis ad vnumquodque vitium contrarium.



QVÆSTIO VII.

Vtrum actus Virtutum Theologicarum sint impossibiles cum contrariis actibus vitiosis circa obiecta diuersa?



DETVR non esse impossibiles, primò ex Durando. Quia hæreticus negans vnum articulum fidei v. g. Sacramentum Eucharistiæ, pergit nihilominus credere alios articulos, ut Incarnationem, Trinitatem, &c. idque propter auctoritatem diuinam, sicut antea, dum idem esset Catholicus. Ergo componuntur in eodem subiecto, Fides, & Infidelitas circa diuersos articulos. Eadem porro ratio est de perpetratione aliorum peccatorum, coniuncta cum fuga aliorum, contra reliquas duas Virtutes Theologicas.

2. Ex Ripalda, potest quis ex motiui abstinentiæ, esse temperatus in cibis, simulque intemperatus in potu aduersus idem motiuum: esse fortis aduersus periculum non admodum terribile, simulque timide cedere admodum terribili, & sic de similibus. Nempe omnes vniuersim virtutes morales possunt ita edere, eduntque frequenter actus faciles, ut simul dent adiutorem actibus vitiosis contrariis, qui vitari non possunt absque magna difficultate. Ergo idem contingere potest quoad Virtutes Theologicas. Patet consequentia, quia eadem libertate vtimur, cum volumus istis, atque prioris generis virtutibus, & in vtrorumque materia potest occurrere eadem inæqualitas difficultatis circa diuersa obiecta materialia.

3. Ex eodem Ripalda. Perfectio actus Theologici non consistit in indiuisibili; sed potest esse maior, & minor. Possibilis namque est dilectio Dei super omnia tam leniter, quam grauitè contraria, qualis est dilectio Patriæ, & fuit dilectio Christi, necnon Beatæ Virginis in via: sed est possibilis nihilominus alia minor dilectio Dei super omnia grauitè tantum contraria, qualis est ordinaria dilectio viatorum. Ergo possibili-

lis.